

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0973

0971

0977

0967

0982

0962

1022

0922

1072

0872

0472

Ende

Anfang

400

cujus gratia suum deserunt desertum, et non solum orientis regiones pervagantur, sed in extremas occidentis partes se diffundunt, ubi nescio qua causa non Arabes, nec Chaldae, sed Zigari vocantur, quos vulgus noster vocat Zigner, qui primo orti e Chaldaea, ut dicitur primo Phys. in supplemento Chron L. IV. in eis conterminam Arabiam desertam descenderunt et inde per regiones diffunduntur, de quibus infra fol. 80. vide. Hi Arabes deserti valde annosi cum (**b**) his miseriis sunt, et centenarii et vetulæ centenariae per desertum leviter sicut canes currunt, semper sitibundi et esurientes rarissime saturantur panibus, et dum solemne instaurant convivium, pânes subcinerilos faciunt, carnes vero adhuc cruentas manducant et deficientibus lignis ipsos carnes crudas super latum lapidem ponunt, et ita caro exsiccatur sub lapidibus et calefit, quo facto levato superiori lapide inferiorem pro mensa retinent et ita carnem sine alia decoctione manducant. Vescuntur etiam quibusdam radicibus et herbis et lac camelarum et asinarum bibunt et rodunt durissimos paximatos. Unde de hoc sic dicit Jeronymus contra Jovinum: Arabes et Sarraceni ichthyophagi, Ismaelitae et omnis eremi barbari camelorum lacte et carnis vivunt, quia hujusmodi animal pro tempore et sterilitate regionis facile apud eos gignitur et nutritur, et nefas arbitrantur, porcorum vesci carnis. Sues enim, qui glande et castaneis, radicibus, filice et hordeo ali solent, apud eos non inveniuntur, cum haec alimenta non habeant. Hi super petras solis ferventes calore assant pisces de mari rubro captos et hoc solo alimento vicitant. Et quia incertis sedibus huc atque illuc in solitudine vagantur, ideo viatores congregantur, ut imminens periculum mutuo auxilio declinetur. Ex his patet, quod olim sicut hodie deserti perambulatio insegura propter Arabum invasionem, quam passus fuit Malchus, ut habet Jeronymus in epistola captivi monachi, sicut habetur in Vitis Patrum.

De his miseris videtur esse illud Job. 30. Horum, inquit, patres non dignabar ponere cum canibus gregis mei, et vita ipsa reputabantur indigni, egestate et fama steriles, qui rodebant in solitudine squalentes calamitate et miseria, et mandebant herbas et arborum cortices et radix juniperorum erat cibus eorum.

